



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

De vacatione beneficiorum ob religionis ingressum. punct. 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

juxta text. in c. unico, de desponsat. impuber. in 6. et per sponsalia omnes sentiant non vacare beneficia ipso iure, ergo nec vacant per huiusmodi contractum. Neque obstat esse matrimonium atenuatum, quia non ob quamlibet atenuationem inducitur beneficium vacatio, sed ob atenuationem culpabilem, nullam inducentem obligationem: sic Bernard. Diaz. pract. cap. 30. n. 6. Iulius Clarus pract. lib. 3. quest. 73. num. 5. Couarr. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 3. num. 4. Garc. 11. p. de benef. cap. 8. num. 20. §. 22.

§. VII.

De vacatione beneficiorum ob religionis ingressum.

- 1 Professione religionis tacita, vel expressa beneficia vacant.
- 2 Exciipiuntur Equites professi in ordinibus militariibus, excepto ordine sancti Iohannis.
- 3 Ante professionem nec beneficia, nec pensiones vacant.
- 4 Adde esse nouitatus prorogatur.
- 5 Fructus beneficij, qui percipi possunt in absentia, nouitio acquiritur.
- 6 Expenditur qualiter nouitius ad electionem ratione beneficij competentem vocari debet.
- 7 Quid dicendum de vacatione beneficiorum, & pensionum religionis sanctissime Societatis Iesu.

Beneficia ipso iure vacare professione religionis tacita vel expressa constans est omnium sententia ex text. in cap. beneficium, de regularib. l. 6. vbi Doctores omnes. Nam religiosus professus reputatur mundo mortuus, & sicut per mortem omnia beneficia vacant, ita per professionem vacare debent. Quod non ideo de beneficiis, sed de iure ad illa, & de pensionibus Ecclesiasticis intelligendum est, sicut diximus de matrimonio p. precedenti, & tradit Thom. Sanc. l. 7. in decal. c. 4. n. 5. §. 13. c. 29. n. 2. §. 8.

Ab hac doctrina excipiendi sunt Equites professi in ordinibus S. Iacobi, Calatrax, & Alcantaræ, quorum beneficia, & pensiones non vacant eorum professione, eo quod non sint vere, & proprie religiosi, nec solemnem professionem emittant, & etio vere religiosi sunt, non sunt inhabiles, & incapaces eorum votis habendi proprium, secus vero videtur dicendum in Equitibus S. Iohannis, qui solemnem faciunt professionem. Sanchez. l. 7. in decal. c. 29. n. 4.

ante professionem tacitam vel expressam nequaquam beneficia, nec pensiones vacant, vt ex suprad. cap. beneficium, de regularib. in 6. expressè constat. Quod adeo verum est, vt etio nouitatus ultra annum prorogetur, beneficia nulla ratione vacare censenda sunt. Tum quia prorogatio nouitatus fit cum qualitatibus sibi propriis, iuxta leg. lecta, ff. si certum petatur. Tum quia facta nouitatus prorogatione liberum est nouitio habitum deserere, & ad sæculum redire: si autem beneficiis esset spoliatus, hæc libertas diminuta esset, non igitur est beneficij, sicut neque alius bonis, spoliandus, iuxta Trident. sess. 25. c. 16. de regulari sic Mandos. in casibus annalibus, n. 63. casu 192. ad finem. Thom. Sanchez. lib. 7. in decal. cap. 4. num. 6. Hinc fit si decimo quarto ætatis anno fueris religionem ingressus, tua beneficia illo biennio sequenti quo professionem emittere non potes, non vacare, quia ex iuxta causa nouitatus prorogatur sic Lancello. in iuris canonici lib. tit. de regularib. §. c. si conuenerit, verbo probationis, quem refert, & sequitur Sanchez. supra. Et idem est si religio ex aliqua iusta causa professionem post annum distulerit, beneficia vacare censenda non sunt.

Adde etio absque vlla causa nouitatus prorogetur, & professio differatur, beneficia non vacant. Quia solum cautum est vacare professione tacita vel expressa. Potest autem Episcopus, cui beneficium nouitij subicitur, contra nouitium, tanquam contra illegitimè abentem, procedere vsque ad beneficij priuationem. Quod intelligendum est de beneficiis residentiam exposulantibus.

Hinc constat fructus beneficij, qui percipi possunt in absentia, nouitio acquiri tanquam illius bona: quia vere retinet beneficij titulum, & possessionem, & tanquam de bonis propriis disponere potest. Garc. 1. p. de benef. cap. 9. num. 28. Sanchez. dicto lib. c. 4. num. 18. Suarez. 3. de relig. lib. 5. c. 16. n. 12. Dixi qui percipi possunt in absentia, nam distributiones quotidianæ, aliæque annuatim personalia residentiam exposulantia nequaquam nouitio concedi debent, sed inresentibus accrescunt. Quia non reputatur vt præsens, cum non sit ex causis à iure expressis, & præcipue cum absit ob propriam vilitatem, Garcia & Suarez. locis allegatis.

Solum est dubium de fructu beneficij, qui est electio, qua ratione nouitio competere possit? Ponamus nouitium canonicum esse alicuius Ecclesiæ, faciendamque esse à canonis electionem Prælati, vel alterius beneficij: vocandus ne est nouitius, vel remittendus ad electionem? Item est paronum alicuius beneficij, exigendumne est eius consensus? Videtur in vtroque casu nouitium vocandum esse, quia electio celebrari debet

Eerd. de Castro, Sum. Mor. Pars II.

vocatis iis qui potestatem habent eligendi, si proximi sint loco electionis. At nouitius canonicus potestatem habet eligendi, cum canonicatum retineat. Ergo vocari debet, si loco electionis proximus existat. Neque enim, vt dicit Glossa in cap. beneficium, de regularib. in 6. deterioris conditionis esse debet, qui ad bonum aspirat, & religiosam vitam probat; præcipue cum iniquitudo, & distractioni, quæ ex his electionibus nasci poterant (si frequentes sint) occurrere possent designando procuratorem, iuxta text. in c. quia propter electione, & in c. si quis, in princ. eodem tit. in 6. sic Archidiacon. dicto c. beneficij, n. 1. & ibi Probos addit, ad monachum, n. 1. Bertachin. de gabellis, 7. parte princ. n. 56. Mandos. in casibus annalibus, n. 66. casu 197.

Dicendum tamen est nouitium, cui iure speciali, & singulari electio, seu nominatio competit, vocandum esse, seu petendum eius consentum; quia ius eligendi, seu nominandi, quod ante ingressum habebat, retinet; neque in monasterium transit, & ex alia parte poterit illud ius absque dispendio religionis executioni mandare, siquidem non tenetur ad hanc executionem à monasterio exire: sic docent Glossa eo c. beneficium, de regularib. lib. 6. verbo conferendum, in fine. Azor. 2. l. lib. 12. c. 3. quest. 1. pluribus relatis Sanchez. lib. 7. in decal. c. 4. n. 12. Suarez. 3. de relig. l. 5. c. 16. n. 16.

Si autem nouitio iure collegij electio, vel nominatio competat, probabilius est non esse necessario vocandum: quia fictione iuris ob statum assumptum reputatur longissime absens argum. text. in c. quamuis de procuratorib. in 6. vbi ingressus religionis, & longa peregrinatio æquiparantur: & Glossa verbo ingredi inquit etiam non proficendo, sed solum probationis causa. Sed longè distans vocari non debet, Ergo nec nouitius vocandus est. Item in illo textu procurator, qui per contestationem erat Dominus litis, religionis ingressu vsum litis amittit: sic canonicus amittere debet vsum vocis, quam in capitulo habebat. Adde si ad electionem esset vocandus, detrimentum patereur religio, cum non posset mores eius satis explorare, ob frequentem nouitij monasterio egressum, quod secus contingit cum iure speciali electio, seu nominatio competit; eaque de causa regulariter non potest his electionibus commodè adesse. Ergo vocandus non est, quia non est necessario vocandus qui creditur impeditus: & ita tenet, & late probat Glossa in dicto c. beneficium, verbo conferendum, in fine. Tiraquel. de retract. ligna gior. §. 1. gloss. 8. n. 37. Azor. 1. l. lib. 12. c. 3. quest. 1. Sanchez. locis referens, lib. 7. in decal. c. 4. n. 10. Suarez. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 16. Hinc fit, non posse nouitium eligere procuratorem cui vices suas committat, neque collegium obligatum esse illum admittere, quia necessario vocandus non est. Azor. & Sanchez. supra. Verum si nouitius ad electionem accesserit siue vocatus, siue non vocatus admittendus est, quia priuari non debet iure eligendi, quod habet, sic Azor. Sanchez; & Suarez. locis allegatis.

Hucusque diximus de vacatione beneficiorum, pensionum, & fructuum cuiuscunque religiosi, restat dicendū de religiosis, & nouitiis nostræ Societatis Iesu. Et quidem si solemnem professionem emittant, aut in gradum coadiutorij admittantur, beneficia, pensiones, & fructus vacant ac vacant professione cuiuscunque religionis; quia in hac parte nihil est speciale. Verum si solum vota biennij veros religiosos constituentia emiserint, pensiones non vacant, sed illas validè, & licite retinere possunt; quia bonorum dominio non priuatur illis votis, si tamen non possint absque consensu Superioris de illis, eorumque fructibus disporre, Sanchez. lib. 7. in decalog. cap. 29. num. 10. Beneficia vero etio ipso iure non vacant per vota biennij, quia (vt dictum est) illis votis non reldantur religiosi incapaces habendi proprium: quæ est ratio ob quam professione beneficia vacant. At præscriptio nostræ Societatis antequam voto biennij emittantur, resignari debent, si habeant in §. congregat. generalis. can. 5. ibi. Nostri qui ante ingressum in societatem Ecclesiasticam beneficia quæcunque obtinent finito probationis biennio priusquam vota simplicia scholasticorum emittant, omnino resignent, non obstante canone primæ congregationis, qua cautum erat. Ne nostri qui ante ingressum in societatem, habebant beneficia, congregentur ea relinquere ante professionem nisi iubente Generali, Commissario, vel Provinciali post primum annum probationis, Et vt ergo supradictæ resignationis vacant, & non aliunde: sic Sanchez. l. 7. in decalog. c. 4. n. 7.

§. VIII.

de vacatione contingente ob priuationem.

- 1 Priuatio contingere potest lege, vel sententia, & de eorum differrentia.
- 2 Hæresis priuat ipso iure beneficiis acquisitis.
- 3 Crimen læsæ maiestatis non videtur priuare.
- 4 Qualiter homicidium priuet.
- 5 Apponuntur 4. limitationes.
- 6 Qualiter sacrilegium beneficij priuet.
- 7 Quid dicendum de simonia.
- 8 Quid de perurio.
- 9 Quid de blasphemia.

Ecce 10 Quid